



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De periculo pauperum in officijs. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

ut quantum minus valet, importunè aliquid postules; & dum sentis parum proficere petitionem tuam, noli vexare te per aliquam impatientiam, sed recordare: O felix patria, sanctorum repleta desideria, & miserorum nesciens grauamina.

§. 24. De reuerentia pralatorum.

**C**oram senioribus exhibeas te verecundum & morigeratum, & nihil temere in verbo aut opere à te percipiatur, sed humilitas & simplicitas. Semper senioribus reuerentia deferatur & honor; siue dignitate pralationis, siue auctoritate officij, siue ætate temporis & conuersatione venerabiles fuerint, humili corde exigeris reddere debitam subiectionem; & beatus, si imples eam, & deuotè veneraris prælatis tui præsentiam.

§. 25. De cauenda familiaritate cum pralatis suis.

**Q**uorum tamen societatem declinare debes, vbicumque aptè & quotiescumque licitè potueris. Quia multis fuit nociuum, quod paruum reuerentiam coram senibus & prælatis habuerunt, & seduxit corda paruulorum & inexperorum talis consuetudo. Ideo sapienter facit, qui magnorum hominum notitiam, & pralatorum familiaritatem deuicit; quia non bene decet, nec ædificat intuentes. Neque hoc ad subtrahendum quicquam sanctitati illorum dicitur: sed ad cautelam nouitiorum & simplicium proponitur. Quidam ex familiaritate nimia & alloquijs magnorum, audacius se rebus & negotijs altioribus immerferunt: quod forsitan non fecissent, si liberiores erga superiores suos non fuissent. Etiam aliquando cæteris fratribus se præferentes, putabant se aliquid esse: sed in fine decepti sunt, quia hominibus & non Deo placere voluerunt. Proinde vtile iuuenibus est, & nouis palmitibus expediens, propter futuras occasiones male, nunquam talia querere, quæ spectant ad superiorum gratiam & familiaritatem minus cautam. Sed humiliora & simpliciora loca & officia exquirant sibi, gaudentes in abiectione omnium pomparum mundi, & quòd ignoti & parui habentur in oculis hominum reputati. Verum non est paruus fructus spiritualis gratiæ, quando se homo ab omni temperat propter Christum amicorum inclinatione; & eius appetit solummodo gratiam, qui confortat pauperem, & exulem consolatur in abscondito.

§. 26. De periculo pauperum in officijs.

**C**auendum est pauperi, ne efficiatur præsumptuosus & audax, & obliuiscatur paupertatis & inopiæ suæ, in qua natus est.

Melius